CARMINA AD NUPTIAS

Ornatissimi Viri Juvenis

DN. JOHANNIS HUBNERI

CIVIS THORUNIENSIS

&

Piæ ac Pudicæ Virginis

CATHARINÆ

Honesti ac Prudentis Viri

Dn. PHILIPPI Pusch

Judicii Suburbani Assessoris apud Thorunienses spectati Filiæ.

Scripta

â

Docentibus in Gymnasio Thorunensi.

Celebrabantur verò Nuptiæ,
XVII Kal. Decembr. Anno
M. DC. XXII.

Typis Henrici Frisii, Anno 1622.

4

JOHANNI HUBNERO
ET
CATHARINÆ PUSCHIÆ
SPONSIS.

NUper lugebat Schola tecum SPONSE, tuæ cum
Ire fuit tempus *Matris* ad exſequias.
Nam fuit exemplũ Matrum venerabile, myſtis
Gnara favere, novem promta fovere Deas.
Lugebat tecum Schola nuper SPONSA, tui cum
Ire fuit tempus *Fratris* ad exſequias.
Nam fuit exemplum pubis memorabile, gratus
Solituidne domi, more modoq́ foris.
Nunc verò Juveni dum tu conjungeris orbo,
Frater et is tibi, tu *Mater* oriris ei,
Cum vobis Schola gaudet; et ecce ſilentia rumpit
Quæ fecêre ſuâ morte moraq́; Typi.
Ergo jungiminor feliciter, atq; precantur
Quod Muſæ faxit verus Apollo ratum.
Sponſa fuat Mater, Sponſus ſit Frater abacto
Turbine, qui genti triſtis utriq; fuit.

CUNRADUS GRASER Rector.

JANUS

JANUS HUBENERUS

per ἀναγραμμ.

Hujus anne Suber?

D*Esine curarum; Fruticetum monstrat amoris,*
Pandit & optati, Jane, Diana, *plagas*
Ingredere; & dumos inter vepresq; dolosos
Esse catus possit quod panacea, vide.
Errantem sed Te sequitur, quæ vellicat aurem:
Flecte pedem; ostensum contueare locum.
Quid Fruticis? non est Juncus, Paliurus, Amomum;
Non Vitex, Cytisus, Ruscus, Erica, Rubus:
Non Tamarix, Corylus, Cisthus, Chamelæa, Genista;
Non Aloë, Ledum, Rhamnus, Arundo, Sena.
Arboris in frondes sese diffudit, & ipsum
Fulgidiore comâ & perpete veste viret.
Non de Gente tamen Buxi, non Abjetis; ipsum
Carius est quavis arbore, fronde, comâ.
Vis dicam quid sit? (neq; enim Te mente tenebo
Amplius) in Latio Suber *utroq; cluet.*
Suber, *quod ramis fœtum & se glandibus effert;*
Quod vincit truncos cortice, crassitiem
Cujus mensurat mensura decempeda solam;
Uberius nihil ut Subere *dicat iners.*
Hoc se uno tandem Vepretum Subere *jactat:*
Hoc est monstravit quod Tibi, Jane, *Cypris.*
Hujus *at* anne *ergò* Suber? *quo* Jan-Hubenerus,
Flos Juvenum, vel Te teste, Diana, *queat*
Ardentesq; faces extinguere; Daphnidis arcum
Frangere cum calamis eripierq; dolis?

Sic est

Sic est. Ergò Tibi *gratamur,* Jane, *precamurq́;*
Ut vincas semper cortice Subereo
Quæ venient superanda foris juga tunsa procellis;
Quicquid & infausti percutit æra domus.
Externâ Suber *spolietur veste licebit;*
Germinat internâ perpetuoq́; viget.
Turpia quod Mœchis picti ludibria trunci
Iliceum artificis Suber *abortit acu:*
Dulcia tot sancti spiret Tibi pignora lecti.
Fœcundum excelsa Suber ab arce venit.

M. BASILIUS Zölner Conrector.

JOANNES HIBENER
CATTHARIS PUSCHINA
Κατ' ἀναγραμμ.
Anne putas Tibi ἔρις hæc? non, Charis.

ERgone aves Leges modò, SPONSE, subire maritas,
Fœdera Tu Catharis nectere connubii?
Num tibi tam subitò tristi de funere MATRIS
Transit conceptus sic, Neonymphe, dolor?
Num quoq́;, Virginei flos illibate pudoris,
Ampliùs ob FRATREM non tibi luctus adest?
Scilicet en miro vertuntur plurima casu,
Nec sors in fixo est firma tenaxq́; loco.
Tristia sic illi fas est miscere serenis,
Exhilarat miserum qui modo tristis erat.
Hanc sequimur meritò, sacro modulamine tedas
Replendo vestras. Hìc pia vota valent!

Anne

Anne putas tibi quod sit ἔρις turpissima, SPONSE,
Hæc Catharis? dic *Non.* Nam tibi grata *Charis*
Huic ergò Charis esto, tibi Charis esto vicissim
Ipsa Charis, quicquid fit, fiet omne Charis.
Sic Pietas, sic vestra Fides, sic Vita placebit
Casta DEO, & semper vos animabit ἔρως
Non turbabit ἔρις, non mentes distrahet error,
Grata DEO ex uno pectore vota fluent.
Hæc voti summa est: Vivant duo corpore in uno
Corcula pro voto. Quid magè quæso precer?

NICOLAUS NEISSER.

Ad Sponsum.

SIccine deseruit Regina Cnidiq; Paphiq;
Dilecta Cyprum, SPONSULE,
Inq; tuum penetrat
Tota Venus pectus? Væ terq; quaterq; misellis
Isthis Amasionibus,
Quos petit illa rudes
Undantes animi flammas extinguere adusti,
Quâ fas sit undâ, quo impotens
Sanguinis imbre Venus
Lenior effuso veniat? Quàm conficiunt se
Lentis dietim ab ignibus,
Officio utibiles
Nulli! Væ, Lyricorum exclamat, difficili ardens
Meum jecur bile intumet,
Tum neq; mens-animi

Nec color in certâ mihi sede manent, fluidusq́
Furtim in genas humor cadit,
Cerea cum Telephi
Brachia cervicem & roseam mea Lydia laudas.
Væ. Sed quo amica me rapit
res-Veneris dubium?
Fas est, SPONSE, tuam gratari versibus æquis
Mentis catæ scientiam.
Sic licet igniculos
Lascivæ Veneris penitùs sopire. Anathema
Sit, qui secus Cupidinem
Exsinuare studet.

ONOMASTICHUM.

JOHANNES HUBNER
CATHARINA PUSCHIA.

Agro HUBNERE *nemus conjungis,* PUSCHIA *donec*
Serpit in amplexus ambitiosa tuos.
Plaudite Hamadryades, non semper tale ferino
Accedet nemori (credite) nomen agri,
Tuq́ Diana fave quò non sine fruge pererret
Hic novus Actæon jura nemusq́ suum.

M. MARTINUS Schaller Budissinus

ALIUD.

EST scitum Carmen, Nasonis ab ore profectum:
Si qua voles aptè nubere, NUBE PARI.
JANUS id HUBNERUS, CATHARINAq; PUSCHIA firmant;
Ducit & Ipse parem, nubit & Ipsa pari.

Nobile

Nobile par: Juvenis cum Virgine namq; jugatur,
Conditione pari, cordis Amore pari.
Huic sociale pari, par est me pangere Votum,
Vel speciale, quod est tale, favore pari:
Vir paret & pariet, pariens benè pareat Uxor:
Res usû partas participentq; pari:
Inde pares Vitæ post partes Jova paratos
Hinc vocet atq; beet Lucis honore pari!

FRANCISCUS ROTHARDUS.

Sunt qui Servitium vocitant rigidumq; capistrum
Conjugium, & Sancti fœdera sacra tori.
Et nitidis ornant phaleris popanúq; juventam
Perpetuam, Nymphis quæ sacra nulla facit,
Libera quòd vinclis per compita quæq; vagatur,
Cogitur & nulli subdere colla jugo.
Sed quàm falluntur miseri! concordia gaudet
Conjugii vitâ liberiore magis.
Hæc Schola grata DEO, hæc eadem Res-publica parva est,
In qua complures discere plura solent:
Illam sed castæ vexat malè gloria vitæ,
Dum falsò jactat Virginitatis opus.
Hîc Amor, hîc Furiæ portum sunt nacta quietum,
Dum liciti & casti nomen Amoris habent:
Illic inconstans per tot discrimina rerum
Errat, & incertâ sede vagatur Amor.
Ergone Servitium Thalamus dicetur, honesta
Libertatis ubi laxa fenestra patet?
Inficior: nam JOHANNES HUBNERUS *eodem*
Occipit ingenio liberiore frui,
Conjugii nexu CATHARAM *cum firmat amicam,*
Quam cupit in proprium ducere jamq; torum.

Hæc

Hæc ipſi requies, ſtatio tutiſsima portus,
Natos pulchra dabit, gaudia mille dabit.
Hoc precor ex animo, Chriſtus ſit veſter Achates,
In vita lux, dux, grata in amore ſalus.

JACOBUS LANGIUS Pannon..

ALIUD.

INſcius Actæon dum in ſylvis forté Dianam
Atq; ejus nymphas forté lavâre videt,
Ecce in cornutum demiſſo corpore cervum
Tranſit & â canibus dilaniatur inops.
Sponſe extra ſaltum non eſt tibi Puſchia viſa
An Te cornigerum reddere & illa valet?
Papæ! non adeo ſæva eſt tua Puſchia, multo
Blandior aſpectus excipit illa tuos.
Excipiat multos, opto, fœcunda per annos
Nec video deſit quod tibi Jane bonum,

GEORGIUS STALEBERG.